

Dixi 2<sup>o</sup> *eodem periculo*; quia ubi periculum est omnino diversum, bene potest imputari furi quod pereat, quia sine eius furto res huic periculo exposita non fuisset, quamvis aliud discrimen subiisset. — S. Lig. n. 620. — Aliqui tamen contradicunt, quia (aiunt) perinde est, sive res in isto, sive in alio periculo intereat, quando utrumque discrimen simul coexistat.

Ex Iure civili Rom. et Gall. quocumque modo res perierit in manibus possessoris malae fidei, ad restitutionem hic tenetur. Attamen non videtur ad restitutionem obligandus ante iudicis sententiam, nisi illum iure naturali obligari constet. — Carrière, n. 1072. — Gousset, n. 933.

648. — QUAER. 3<sup>o</sup> *Ad quid teneatur possessor malae fidei, quando res varium habuit valorem tempore detentionis?*

*Resp.* 1<sup>o</sup> Tanquam certa habenda sunt quae sequuntur:

1<sup>o</sup> Si res apud furem deterior facta fuerit, restituenda est secundum valorem quem habebat quo tempore sublata est. Secus enim dominus non reciperet id omne, quod suum erat.

2<sup>o</sup> Si res apud furem crevit, restitui debet cum omnibus incrementis hic et nunc existentibus; quia res semper ad dominum pertinet, et pro ipso crescit.

3<sup>o</sup> Si dominus rem suam fuisset venditurus eo tempore, quo fuit sibi ablata, et fur eodem tempore eam vendiderit, aut consumpserit, tenetur tantum restituere valorem, quem habebat quando illam surripuit.

4<sup>o</sup> Si res apud furem creverit et postea decreverit, et constet dominum, eo tempore, quo maioris erat pretii, venditurum illam fuisse aut consumpturum, fur ad totum maius pretium reddendum tenetur.

5<sup>o</sup> Si fur rem a domino non servandam consumpserit tempore minoris pretii, non tenetur ad restitutionem incrementi, saltem *probabilius*; quia non ditiescit ex re aliena, nec iniuriam infert domino. — *Ita communius*, contra aliquos. — Excipe, si dominus emere non potuisset eodem pretio rem consumptae similem. — S. Lig. n. 621.

6<sup>o</sup> Si fur rem a domino non servandam vendidit vel consumpsit tempore maioris pretii, tenetur illud pretium domino reddere, licet aliud dominus de re facturus fuisset; quia res domino suo *fructificat*. — *Ita communiter*. — S. Lig. n. 621.

*Resp.* 2<sup>o</sup> *Controvertitur* vero utrum fur restituere teneatur rem furtivam iuxta maiorem, quem aliquando habuit, valorem, si dominus eandem rem usque ad tempus minoris pretii servaturus fuisset, vel si eam, antequam pretium eiusdem crevisset: fuisset consumpturus.

Videtur negandum *probabilius*, quia fur ad maiorem valorem restituendum neque ratione rei acceptae tenetur, ut patet ex dictis, neque ratione damni illati, quia dominum reponit in eodem statu, in quo ver-

satus fuisset, si iniuria non fuisset commissa. Lugo, d. 18. n. 132. — Lacroix, n. 233. — Carrière, etc.

Affirmant tamen alii non pauci, quia res pertinebat ad dominum cum suo incremento tempore maioris *pretii*, et proinde tunc eam reddere tenebatur. Ergo, etc. — S. Lig. n. 621. (10). — Billuart. — Antoine.

In praxi cum fere non innotescant omnes praefatae circumstantiae, plerumque sola urgenda est compensatio valoris, quem tempore furti res habebat.

(10) Hae in re haec S. Alphonsus (lib. 3. n. 621.) habet. *Si dominus* (inquit) *consumpturus fuisset agnum tempore vilioris pretii, et apud furem crevit valor, sed postea apud ipsum decrevit ad pristinum valorem; respondet Concina, furem teneri ad restituendum vilium pretium, quoniam restitutio non obligat nisi ad mensuram damni illati. Sed id mihi videtur penitus improbabile, quoniam cum pretium agni creverit ad quinque in beneficium domini, et eo tempore culpabiliter agnum illi fur non restituerit, damnum non fuit in quinque, sed in decem, et mora furis fuit quidem causa huius damni; quapropter non quinque, sed decem ille restituere debet.*

Sed conciliari forte utraque sententia potest, si utrobique suppleatur hypothesis, seu limitatio quam uterque subintelligendam reliquit iuxta primam quaestionis partem. Hanc limitationem sic proponit Laymann (lib. 3. Tr. 2. c. 4. n. 5.): *Sed limitari debet. Nisi ita res comparata sit, ut licet iniquus possessor rem in optimo statu restituisset, a domino tamen non dividenda etc., sed servata, similiter deterior facta esset; tunc satisfacit iniquus possessor, restituendo rem in statu deteriore, ad quem, sine culpa tamen sua, pervenit. Ratio est, quia hoc casu fur per moram restituendi nullum reipsa domino damnum*

*intulit, sicuti constat ex supradictis.*

Hoc ipsum clare proponit Lugo in eo, quem et Auctor allegat, loco (disp. 18. n. 132.). Ac primo sic proponit doctrinam a S. Alphonso dein traditam: *Si apud dominum tempore maioris valoris existens consumenda fuerat vel alienanda, tenetur fur postea iuxta illum maiorem valorem restituere domino; quia tempore maioris valoris debebat eam domino reddere, atque ex iniusta retentione causa fuit, quod domino damnum illud emergeret vel lucrum cessaret, et hoc sive ex culpa furis, vel sine illa decrevit valor, aut bonitas rei illius.* Et hanc eandem doctrinam etiam Auctor Resol. quarta et sexta tradit. Limitationem seu aliam hypothesim sic deinde (ibid.) subiicit Lugo: *Si res illa in valore decrevit, quae apud dominum eodem modo decrevisset, a quo conservanda erat ad illud usque tempus, quo minus valeret; tunc attendendum solum est ad valorem rei pro tempore, quo consumpta fuit, et quando damnum vere fuit illatum; quia ex illa iniusta consumptione aut ex retentione vel acceptione iniusta praeterita nullum aliud damnum dominus passus est, ut supponimus: ergo nec ratione damni emergentis nec lucri cessantis debet quicquam aliud restitui supra id, quod res valebat, quando consumpta est.*



649. — **QUAER.** 4<sup>o</sup> *An fur praeter pecuniam furtivam etiam restituere debeat INTERESSE (les intérêts)?*

*Resp. Affirm.*, si constet vel praesumatur, quod dominus illud lucrum fuerat percepturus, quia hic respectu possessoris malae fidei omnino indemnus fieri debet; secus vero *probabiliter* in alia hypothese, quia non constat dominum ad illud auctarium ius habere.

**QUAER.** 5<sup>o</sup> *An teneantur restituere, qui ut eleemosynas accipiant, fingunt se pauperes, vel veri pauperes, qui dicunt se probos, cum non sint?*

*Resp. ad 1<sup>um</sup> Affirm.*, Ratio est, quia isti nullum ius habent ad eleemosynas; qui enim erogant eas, *veris* tantum pauperibus opulari intendunt. Igitur restituendum est vel danti, vel saltem *vere* pauperibus. *Probabilius* sufficit si pauperibus restituatur. Non videtur tamen urgenda restitutio, si de eleemosynis valde modicis, quales ostiatim dantur, agatur; quia erogantes quoad eas sunt minus inviti. — *Ita communiter.* — S. Lig. n. 622.

*Resp. ad 2<sup>um</sup> Neg. generaliter*, quia sola indigentia, non vero probitas, est conditio, ad quam donator attendit aut attendere praesumitur. — *Ita communiter.*

650. **QUAER.** 6<sup>o</sup> *Quid, si res aliena per manus plurium malae fidei possessorum transierit ex donatione aut venditione?*

*Resp. 1<sup>o</sup>* Quoad rem, haec restituenda est ab eo, qui eam adhuc tenet vel in alium valorem mutavit, aut consumpsit, aut quovis modo amisit. Hoc autem deficiente, tenetur raptor. Quod si neuter debito suo satisfecerit, caeteri per aequas portiones rei pretium solvere debent. Tandem, in caeterorum defectu, quisque ad totum tenetur.

*Resp. 2<sup>o</sup>* Quoad rei fructus et damna, singuli ad compensationem tenentur pro parte temporis, quo unusquisque rem detinuit; si autem reliqui pro sua damnificationis et fruitionis parte non compensent, totius damni reparatio singulis incumbit, pro rata tamen temporis elapsi a die, quo successive facti sunt rei alienae iniusti possessores (11). — *Ita communiter.*

**QUAER.** 7<sup>o</sup> *An ille, qui scienter rem alienam emit a fure possit ipsam huic reddere ad pretium recuperandum?*

*Resp. Controvertitur* fere ut in casu simili possessoris honae fidei de quo supra n. 644. *Communius* negatur, quia emendo mala fide *in se* periculum rei suscepit: aliunde nemini fraus sua debet patrocinari. — Verum *affirmant* alii ut *probabile*, cum S. Ligor. n. 570.; quia licet iste

(11) Nempe tenetur quisque eorum ad reparanda damna, non quae sequuta prius sunt, quam ipse fieret possessor rei alienae, sed quae postea.

peceaverit rem mala fide emendo, post emptionem tamen ius habet, haud secus ac possessor bonae fidei, ad contractum rescindendum; nec rem furi reddens, hanc in peiori, ac ipse illam invenerit, ponit conditione, e qua insuper nec tenebatur sane ex iustitia ipsam liberare.

651. **Resolves.** — 1<sup>o</sup> Possessor malae fidei non tantum tenetur ad compensandum damnum domino emergens ex carentia rei suae, et in confuso saltem praevium, sed et omne lucrum cessans; scilicet non illud tantum, quod dominus ob rei suae carentiam reipsa amisit, sed illud etiam, quod modo licito fuisset percepturus.

2<sup>o</sup> Qui frumentum alienum surreptum transvexit in alium locum, ubi vendidit maiori pretio, quam dominus erat venditurus, non tenetur augmentum pretii domino tribuere. — S. Lig. n. 618. — Quod si idem frumentum fur in agro suo seminaverit, tenetur solum ad simile frumentum reddendum, ita ut dominus indemnus servetur. Item si quis aliena ova supponat gallinae suae incubanda, ad ovorum valorem tantum restituendum tenetur.

3<sup>o</sup> Si quis furatus sit triticum, quod dominus tempore maioris pretii vendendum servabat, illudque minoris pretii tempore consumpsit, ad illud pretium restituendum tenetur, quod dominus expectabat; nisi forte tam mature fiat restitutio; ut dominus minori pretio simile triticum emere et sine incommodo in tempus pretii maioris reservare possit.

4<sup>o</sup> Si quis raptum agnum occiderit, aut aliam rem huiusmodi furto ablatam consumpsit, id tantum pecuniae (*saltem probabilius*) solvere tenetur, quod valori harum rerum tempore occisionis aut consumptionis respondebat; nisi forte dominus eadem pecunia rem eiusdem valoris iam non potuerit emere, simulque voluerit rem illam servare, ut maiorem pecuniae summam ex eius venditione obtineret — S. Lig. n. 621.

5<sup>o</sup> Si fur subripuit et consumpsit triticum, quod dominus usque ad ultimum venditionis tempus servaturus erat, post furtum vero modii valor primo quidem crevit, sed deinde, cum fur vult restituere, decrevit iterum ad eum valorem, quem furti tempore habebat, satis est (*probabilius saltem*) pretium huic valori respondens solvere. — Reuter, n. 330. — Vide dicta n. 648., quaer. 3<sup>o</sup>, resp. 2<sup>o</sup>. — V. *Casus*, n. 610. et seq.

### §. III. De possessore dubiae fidei.

652. **Principia.** — I. Possessor dubiae fidei, sive a principio, sive in decursu tantum possessionis dubitaverit, serio inquirere tenetur, ut dubium deponat. Ratio patet; secus enim se exponit periculo rem alienam ex culpabili negligentia sua retinendi.

II. Si diligenti inquisitione facta dubium perseveret, *probabilius* rem



totam retinere potest, si ante obortum dubium bona fide possidebat. Ratio est, quia *in pari casu, vel dubio, melior est conditio possidentis*; et possessio cum bona fide incepta creat de se maximam praesumptionem de iustitia possessionis, et possessori ius certum attribuit, quod, nisi aliis rationibus vel praesumptionibus fortioribus vincatur, in foro tum interno tum externo praevalere debet. — S. Lig. l. 1. *de Consc.* n. 34. — Lugo, d. 17. n. 86. — Lacroix, n. 563. — Carrière, n. 1094., et alii communiter, contra *aliquos*, qui dicunt rem pro rata dubii esse dividendam.

III. Si dubium praecesserit possessionem, distinguendum est. Nam qui in dubio inceptit possidere spoliando alium possessione sua, tenetur rem totam restituere priori possessori (12), quando non constet, hunc mala fide incepisse rem possidere; quia in pari causa melior est eius conditio, utpote possidentis. — Lugo, d. 17. n. 80. — Carrière, n. 1100.

Qui vero rem accepit alio titulo, v. gr. emptionis, et post examen diligens adhuc dubium perseverat, an ille, a quo accepit, eius sit dominus, restituere debet, pro rata dubii, probabili domino, vel pauperibus, si dominus ignoretur. Ratio est, quia possessio incepta cum dubia fide ipsi non favet, et ideo non potest totum retinere; nec aliunde videtur teneri ad totum restituendum. — S. Lig. n. 625. — Lugo, *ibid.*

653. **Quaesita.** — **QUAER.** 1<sup>o</sup> *Ad quid teneatur, qui accepit rem aliquam mala fide, ratus eam esse alienam, et postea dubitat, an res sua sit, necne?*

*Resp.* Aequiparandus est ei, qui possessionem cum dubia fide inceptit; prior enim aestimatio falsa reperitur, nec proinde in solutione casus attendenda est. Perpende igitur utrum sua possessione alterum spoliaverit, necne, et resolve iuxta dicta in principio III.

**QUAER.** 2<sup>o</sup> *Quid, si talis possessor inquirere neglexerit ab initio, et postea non possit amplius rei dominus inveniri?*

*Resp.* Videtur aliquid restituendum esse pauperibus pro rata spei, quam habere potuisset dominus rem suam recuperandi. Generatim spes illa pretii medietatem non attingit, sed multo minoris est valoris — S. Lig. *de Consc.* n. 31. — Lugo. — Lacroix, n. 564., etc.

654. — **QUAER.** 3<sup>o</sup> *Ad quid teneatur possessor dubiae fidei, si inquirere neglexerit, et dominus compareat?*

*Resp.* Generatim post dubii initium tractandus est ut possessor malae fidei; obligandus est igitur non solum ad rem domino reddendam, sed etiam ad damna omnia ei resarcienda. — Lessius, c. 14. n. 83. — Carrière, n. 1088., et alii communiter.

Excipiendus videtur is, qui inceptit possessionem bona fide, et deinde

(12) Intellige si dubium postea perseveret.

oborto dubio inquirere neglexit, putans dominum difficilius inveniri posse; hic enim possessori bonae fidei aequiparandus foret.

655. — **QUAER.** 4<sup>o</sup> *An possessor dubiae fidei praescribere possit, si facta inquisitione debita, dubium perseveret?*

*Resp.* 1<sup>o</sup> *Affirm. probabilius*, si bona fide inceptit possidere; quia dubium illud perseverans, non obstante diligentia adhibita, invincibile est, et proinde etiam illo manente conscientia efformari potest ex illo praesertim principio: *Melior est conditio possidentis.*

*Resp.* 2. *Neg.* autem, si dubia fide inceptit possidere, quia bona fide ad praescribendum requisita destituitur. — S. Lig. n. 504. — Vid. supra n. 589.

**QUAER.** 5<sup>o</sup> *An possessor dubiae fidei, qui bona fide inceptit possidere, ad restitutionem teneatur, si, facta inquisitione, inveniat rem probabilis alienam esse?*

*Resp. Neg. probabilius*, quia ex possessione certa ius moraliter certum oritur. Insuper donec alter ius suum certum probaverit, valet axioma: *Melior est conditio possidentis.* — S. Lig. l. 1. n. 35., et alii communissime iuxta S. Lig., contra *aliquos*, qui docent tunc esse pro rata restituendum.

**QUAER.** 6<sup>o</sup> *An debitor, in dubio de peracta debiti solutione, integre vel ex parte solvere teneatur?*

*Resp.* Generatim attendendum est ad varias rerum circumstantias, ut dignoscatur, cuinam faveat praesumptio — *Vide dicenda de causis a restitutione excusantibus*, n. 721.

656. **Resolves.** — 1<sup>o</sup> Si bona fide possederis rem alienam, et superveniente dubio, eoque post inquisitionem remanente, innixus principio possessionis, illam consumpseris, deinde vero dominus ex improvise compareat, id solum teneberis restituere, in quo ditior factus es. Sequitur ex dictis. — S. Lig. n. 607. 608.

2<sup>o</sup> Quando nemo eorum, de quibus dubitatur, utrum rei sint domini, rem ipsam de facto possidet, si dubium aequale sit, res aequaliter inter illos est dividenda; si vero dubium sit inaequale, dividenda videtur iuxta dubii proportionem. Quod si res dividi nequeat, vendenda est, ut dividatur pretium; vel ex consensu partium est concedenda uni, qui obligetur ad ius unicuique caeterorum reddendum; aut etiam in sortes conicienda, ut ei tribuatur, cui sors favebit. — Lacroix, n. 566. — Sanchez, *Decal.* l. 2., c. 23., n. 173. — Carrière, n. 1101., et alii.

3<sup>o</sup> Si dubites, an antecessor tuus bona legitimo titulo possederit, potes, re perpensa, et perseverante dubio, hereditatem nihilominus accipere et retinere, dummodo constet, eum bona fide possedisse. Etenim si axioma *in dubio melior est conditio possidentis*, favet antecessori tuo,



etiam tibi successori favet: nam in hoc casu applicandum est principium possessoris dubiae fidei, qui possessionem bona fide incepit, quandoquidem antecessor et successor unicam personam moralem ex iure efficiunt.

4<sup>o</sup> In dubio an aliquis possessionem bona vel mala fide inceperit, praesumendum est in favorem possessoris; quia delicta non praesumuntur, sed probari debent. Attamen si quis reperiatur actu in mala fide, et dubitetur, an inceperit cum hac mala fide possidere, praesumi debet, eum malae fidei ab initio fuisse; quia *semel malus semper praesumitur esse malus*, iuxta Reg. Iuris 8. in 6<sup>o</sup>. — Ita Lacroix, n. 567. — Lugo, d. 18. n. 16. — V. *Casus*, n. 622.

ARTICULUS II. — DE INIUSTA DAMNIFICATIONE.

657. — Damnificator iniustus dicitur, qui ius alienum laedit, et proximo in bonis suis nocet, nec tamen inde ditior evadit.

Duplex distinguitur culpa, qua damnum inferri potest, nempe culpa *theologica* et culpa *iuridica*. — Culpa *theologica* est, quae includit offensam Dei, id est peccatum formale, sive mortale sive veniale. — Culpa vero *iuridica* est omissio diligentiae, unde alteri damnum provenit, sive ea sit formale peccatum, sive non. — S. Lig. n. 549.

Culpa autem iuridica, ex communi interpretatione Iuris Romani, est vel lata, vel levis, vel levissima. Culpa *lata* est omissio diligentiae, quam communiter adhibere solent homines in similibus negotiis. *Levis* est omissio diligentiae, quam adhibere solent homines prudentiores et diligentiores. *Levissima* est omissio diligentiae, quae adhiberi solet solum a prudentissimis et diligentissimis. Sed haec culparum distinctio in Iure Gallico expresse non commemoratur (1).

658. **Principia.** — I. Iniustus damnificator restituere tenetur 1<sup>o</sup> totum aequivalens rei damnificatae; ita v. gr. si quis domum alterius culpabiliter incendat, integrum eius pretium domino rependere debet; 2<sup>o</sup> totum aequivalens damnis praevisis praeter rei damnificationem, si quae ex ea provenerint. Hinc v. gr. si opifex solitam operam aliquo tempore omittere cogatur, propterea quod instrumentum ei necessarium destruxeris, illum non modo de valore instrumenti, sed etiam de lucro cessante teneris compensare.

Huiusce principii ratio patet ex dictis n. 532. et 626. Etenim dominus laesus *omnino indemnis* fieri debet. Ad hoc autem non satis est, si damnificator intrinsecum pro re pretium ei solvet, quando alia detrimenta ex privatione rei suae passus alter fuerit; siquidem non recuperaret id omne,

(1) Supponitur tamen, quando pro diversis rei adiunctis *minorem, maioremve* diligentiam idem codex exigit. Vid. art. 1137. et art. 1927. *collat. cum* 1928.

quod ex iniusta damnificatione amisit. Neque obstat, quod nullum damnificatori commodum ex damno obvenerit; nam tota restitutionis ratio non ex percepta utilitate de aliena re, sed ex damno illato petenda est.

659. II. Ut actio damnificans obligationem restitutionis inducat, iure naturae, requiritur triplex conditio, nempe ut sit iniusta, causa damni efficax, et theologice culpabilis; scilicet, ut sit iniusta *vere, efficaciter et formaliter*.

1<sup>o</sup> *Iniusta*. Obligatio enim restitutionis necessario supponit ius strictum alterius violatum. Ius autem strictum violari nequit, nisi per actionem iniustam seu iustitiae commutativae oppositam, iuxta dicta supra n. 532., etc.

2<sup>o</sup> *Causa damni efficax*, scilicet 1<sup>o</sup> ut actio *per se* influat in damnum, ita ut hoc inde vere consequi censeatur; 2<sup>o</sup> ut tali agenti possit imputari. Ratio utriusque perspicua est. Actio enim imputari nemini potest, nisi sit ipsius propria; nec potest detrimentum actionis cuiquam adscribi, nisi eius actio causa fuerit detrimenti vera et efficax *physice et moraliter*.

Hoc autem fit, quando ponitur actio, quae ex natura sua, vel ex circumstantiis cum damno connexionem habet saltem probabilem. Hinc 1<sup>o</sup> non sufficit ad restitutionem *causa occasionalis* tantum damni, quia non est causa efficax, sed tantum occasio causae efficaciis. Unde si occasione furti a te patratum alius accusatus fuerit et damnatus, nulla obligatione damni eius reparandi teneris. — Nec 2<sup>o</sup> sufficit ad restitutionem *causa accidentalis*; nam haec ea est, quae in se spectata, attentisque circumstantiis, connexionem probabilem cum eventu non habet, adeoque causa efficax non est dicenda. Unde, si tradas gladium Titio absque praevisione probabili eius abusus, non es iniustitiae reus, si ille homicidium cum eo gladio patrauerit.

3<sup>o</sup> *Theologice culpabilis*. Etenim dari non potest restituendi obligatio in foro conscientiae, nisi in eodem foro iniuria commissa fuerit, neque conscientia ligari potest obligatione reparandi iniuriam, quam ipsa non intulit; secus etiam dormientes et amentes, si damnum quodpiam intulerint, ad restituendum in conscientia tenerentur, quod absurdum est. Porro nulla est iniuria in foro interno, ubi nulla est culpa theologica; ad iniuriam enim requiritur voluntas nocendi saltem indirecta, seu praevisio aliqua saltem *confusa* damni iniusti. Ergo, etc. — S. Lig. n. 551. et seq. *Hom. apost.* n. 39. et 41.

660. III. Tamen etiam ex culpa mere iuridica adesse potest restituendi obligatio in conscientia post sententiam iudicis. Obediendum enim est iustae iudicis sententiae; secus leges securitati publicae non providerent, et inanes forent. Porro sententia, de qua agitur, est iusta. Ista enim lex



fertur pro bono communi et tendit ad homines cautiores reddendos, ne aliis damnum inferant. Insuper ante omnem eventum omnibus civibus aequae favet. Nemo igitur de ea conqueri potest. Ergo, etc. *Ita communiter.* — Billuart, diss. 8. art. 4. — S. Lig. n. 554.

661. **Quaesita.** — **QUAER.** 1<sup>o</sup> *An requiratur culpa theologica ad inducendam restitutionis obligationem pro damno illato rei alienae, quae detinebatur ex CONTRACTU aliquo, v. gr. locationis, depositi vel commodati, etc.?*

*Resp.* Duplex est sententia probabilis.

1<sup>a</sup> SENTENTIA, quae *probabilior*, apparet, *affirmat absolute*, requiri culpam theologiam. Ratio est, quia non sufficit culpa mere iuridica ad obligationem in conscientia inducendam, ut constat ex supra dictis in principio II, nisi speciale pactum intercesserit. Porro de huiusmodi pacto nullatenus costat; imo non praesumitur, contrahentem voluisse in conscientia sub gravi tantam suscipere obligationem cum sola culpa iuridica. Ita Lugo, d. 8. n. 106. — Lacroix, n. 177. — Roncaglia; et hanc sententiam vocat valde probabilem S. Lig. n. 554. (2).

(2) Card. De Lugo, quem S. Alphonsus (ibid. n. 554.) sequitur, licet fateatur (*De Iust.* disp. 8. n. 100.), etiam absque theologica culpa obligationem adesse posse reparandi damna ob culpam *levem* aut etiam *levissimam*, sive id contingat vi pacti expliciti inter contrahentes, sive auctoritate legum, quae id ipsum per modum aut *poenae legalis*, aut *poenae conventionalis*, aut *assecuracionis* constituent; negat tamen cum aliis (ibid. n. 102-104.), eiusmodi obligationem spectato solo naturali iure adesse; imo addit (ibid. n. 106-110.), ex sensu communi neque hanc esse contrahentium intentionem, neque leges secundum communem interpretationem id exigere.

Verumtamen et alia subiicit (ibid. n. 110-113.), quibus ostenditur, praemissae sententiae haud repugnare practicas secundae sententiae conclusiones. Quod quidem nil mirum, quod Antoine non adverterit. Quid enim boni ex huiusmodi quaeras aut expectes, ubi solida doctrina et criterio opus est? Et sane quo pacto Antoine (*De Iust.* cap. 3. q. 5. *Resp.* 4.) duo haec conciliat, nimirum quod quispiam

diligentiam ex natura rei et ex pacto saltem implicita debitam in re alterius custodienda omittat, et prorsus tamen theologicae culpae expertus sit? Scite ergo advertit Lugo, quod secluso oblivionis aut inadvertentiae casu (in quo citra theologiam culpam, saltem gravem, restitutionis obligatio nulla adest in foro conscientiae ante iudicis sententiam), nunquam contingat adesse restituendi obligationem ex culpa iuridica, quae cum culpa theologica, et quidem pari ad onus imponendum, gravi scilicet, non coniungatur. Ratio autem satis manifesta est, quia negligentia in suscepto officio rem alienam custodiendi ex genere suo mortalis culpa est.

Neque opponas, aegre peccatum mortale concipi, quando iuridica culpa *levis* sit, ac multo magis si sit *levissima*. Iuridica enim culpa levis vel *levissima* locum habere potest, quando quis tenetur ex vi ac natura contractus ad adhibendam diligentiam illam, quae consentanea sit negotio accuratiorem vel accuratissimam diligentiam exigenti, quaeque idcirco habita huius negotii ratione *communis* dici possit, quippe quae pro tali negotio communiter

II<sup>a</sup> SENTENTIA *negat*, opus esse theologica culpa, ut quis oneri subsit restitutionis, si casum excipias, in quo contractus cedit in solam utilitatem alterius contrahentium, v. gr. illius qui rem accepit commodatam, etc. Ratio est, quia cum res aliena alicui conceditur in eius utilitatem, aequitas postulat, ut eam valde diligenter custodiat. Unde videtur intercedere pactum implicitum, quo rei detentor se obligat ad eam speciali cura custodiendam, vel ad reparandum detrimentum, quod ex huius curae omissione res subire possit. — Antoine, quaest. 5. — Collet, c. 2. art. 4. etc.

662. — **QUAER.** 2<sup>o</sup> *An requiratur culpa theologica ad restitutionis obligationem ob damnum alteri illatum in officio implendo seu in QUASI CONTRACTU servando? v. gr. si medicus ex errore inculpabili remedium nocivum aegroto praebuerit?*

*Resp. Affirm.*, *probabilius*, ut in quaesito praecedenti. Ratio est, 1<sup>o</sup> quia non potest probari obligatio restituendi ob culpam mere iuridicam in officio, seu in quasi contractu, sive ex iure naturali, sive ex lege positiva, sive ex partium conventionem; 2<sup>o</sup> quia talis obligatio esset nociva bono publico; inde enim fieret ut viri probi et timorati a suscipiendis aliorum negotiis, necnon ab officiis publicis arcerentur. — S. Lig. n. 555 (3). — Billuart, diss. 8. art. 7. — Lacroix, n. 184. et ipse quoque Antoine, quaest. 4.

**QUAER.** 3<sup>o</sup> *An teneatur ad restitutionem, qui inculpabiliter quidem causam damni posuit, sed postea non illud impedivit, licet impedire potuisset?*

*Resp. Affirm.* Ratio est, quia quisque tenetur ex iustitia impedire,

requiritur. Si itaque ratio contractus obligationem accuratissimae diligentiae imponit, nil mirum, quod eius omissio gravem reatum importet.

Ita quidem Card. De Lugo, cuius doctrinam S. Alphonsus cum amplectitur, tum etiam hoc exornat encomio (lib. 3. n. 552.): *Ita* (inquit) *doctissimus Lugo, qui post D. Thomam non temere inter alios Theologos facile princeps dici potest; cum in dubiis discutiendis hic Auctor, saepe nullo praeeunte, falcem ita ad radicem ponat, ut rationes, quas ipse affert, difficulter solvi queant.*

(3) S. Alphonsus nimirum post Lugo (*De Iust.* disp. 8. n. 93.) uti probabile habet, hosce teneri solum ex culpa *lata* iuridica, et *gravi* theologica.

Quod vero idem s. Alphonsus subdit

(eod. n. 555.) cum Laymann, teneri ex culpa *levi* eum, qui accipit stipendium, nihil significat, nisi hunc ad maiorem diligentiam teneri; quem proinde S. Alphonsus gravis culpae damnat, si hanc non adhibeat.

*Unum casum tamen* (inquit Lugo ibid. n. 90.) *excipiunt communiter Doctores* (nempe ex culpa *levissima* ad reparandum damnum obligant), *quando scilicet aliquis profitetur se diligentissimum et peritissimum, et alicui quaerenti non mediocrem, sed diligentissimum artificem, sese offert ut talem.* Quam doctrinam tamen limitat, nisi stipendium tantum commune recipiat. Caeterum ratio resolutionis patet ex praemissis Nota praecedenti.